

Positiones Medicæ  
De  
**ERYSIPELATE,**

Quas  
DEO OPT. MAX. DIRECTORE,

In  
*Academia Wittebergensi*

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO,

*Amplissimo, Excellentissimo & Experientissimo*

VIRO

**DN. DANIELE SENNER TO**

Phil. & Med. Doctore, Facult Medic. P. P. ejus-  
demq; Collegii Seniore, nec non Serenissimi Electoris Saxonie  
Medico ordinario, Dn. Præceptore & Promotore suo  
omni observantiæ cultu honorando,

*In Auditorio Medicorum horis consuetis*

*die 30. Januarii,*

Publico examini subjicit,

**CASPARUS KHEIL Francoftenâ-Siles.**



WITTEBERGÆ,

Typogr. Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXX,

Pathol. spec.

436,32

*not spec 1354*

2246

Positiones Medicas

BRYSSELAT

78

Academia Vindoburgensis  
P. R. S. I. D.  
FACULTAS MEDICAE  
Institutiones & Experimentum  
VIRI

D. DANIEL E. SENNER TO

Publ. Med. Doctor, Facult. Medic. P. R. S. I. D.  
Medico Ordinarius, P. R. S. I. D. & Honorario in  
omni obitu suo cum honore

In Medicis, Medicorum per la confecta

Publico Cantuarii in officio

CASPARUS RHEINHOLDUS

Typhus in Salomon, 1748, in A. M. 1748  
Anno M DC XXX



Συὺ Θεῶ

POSITIO I.



**E**rysipelas etsi novum & peculiare morborum genus non constituat, sed affectus sit veteribus æquè ac recentioribus perceptus: ob curam tamen non nihil à præscriptis veterum variantem, ut & causam ab opinionibus eorundem discrepantem, meritò in numerum morborum hætenùs non accuratè satis & ex fundamento descriptorum refertur.

II.

Insignitur autem malum hoc nominibus variis: Græci *ἔρυσίπτελας* appellitant, id quæ *ἔρυσίπτελας* ἔστι τὸ πέλας, quod ad vicina serpat, derivant. Latini à rubore roseo, quo eutem perfundit, *Rosam*: quidam etiam *Ignem Persicum* nominant. *Avicenna* ob punctiones, quibus corpus molestat, *Spina* dicitur nonnullis *Ignis sacer*, tametsi hac notatione propriè Erysipelas jam exulceratum designetur. Germani vocant *das Rothlauff* ob rubedinem nunc hanc, nunc aliam partem occupantem, item *die Rose*/ *das heilige Ding*/ *die Rôthe*/ *das Fleg* oder *Wiltfeuer*/ *und S. Anthonij Plage*. Consule *Cl. Dn. Præs. in tract. de febr. l. 2. c. 16. Wier. cap. de Rosa. Plater. tom. 2. prax. 17. Solenand. sect. 5. conf. med. 12. & 13.*

*Etymologia.*

III.

De genere Erysipelatis diversimodè autores sentiunt. *Vidus Vidius cap. 2. part. 2. sect. 2. de curat. gen.* complures in Erysipelate morbos, non secus atque in Inflammatione conjungi existimat:

A 2

mat:

mat: primū magnitudinem auctam, cū sit ex numero tumorum contra naturam; deinde calorem igneum, tandemque cavorum astrictionem vel obstructionem. *Plater. tom. 2. prax. c. 17.* inter morbos mutatae superficiei. *Fernel. lib. 7. pathol. c. 4.* inter externos corporis affectus recenset. *Reiner. Solenand. sect. 5. cons. med. 12.* sub inflammatione illud comprehendi debere statuit, generaliter nomen inflammationis pro tumore sanguineo dolente, rubicundo, & à phlegmone diverso accipiens; cū quo etiam consentit *Fuchs. l. 3. Instit. sect. 1. c. 26.* Verū quia vocabulo Erysipelatos propriè non tam tumor, utpote qui non semper notabilis est, aut febris inflammatiove, quàm macula aliqua rubralata & hinc inde dispersa significatur, non incommode ad morbos superficiei seu qualitatis mutatae, affectus hic referendus videtur.

#### Descriptio.

IV. Describiturque propterea, quod sit macula rubra, ardens & lata, hinc inde dispersa, à sanguinis parte tenuiore, biliosiore pinguioreque corrupta & inflammata originem habens, & quandoque cū, quandoque sine tumore superficiem partium tam internarum, quàm externarum afficiens.

#### Subiectum.

V. Subiectum Erysipelatos externa pariter & interna partes corporis esse possunt. Occupat enim illud nonnunquam faciem, cololum, mammillas, femora, genitalia, crura, quandoque pulmones, cerebrum, uterum, stomachum, quandoque alia etiam membra, quæ humores istos corruptos, ex quibus oritur, in se recipere possunt. Ut plurimum tamen apud autores Erysipelas illud consideratur, quod in parte aliquâ externâ corporis conspiciatur, ibidemque ob humorem à naturâ expulsam, maculam ejusmodi, de quâ dictum, producit.

#### Causa proxima.

VI. Causam proximam ουρευτιλην seu continentem hactenus plerique Medicorum flavam bilem esse opinati sunt; sed falso, ob causas quàm plurimas à *Cl. Dn. Præside & Solenandro loc. alleg. adductas.* Quarum præcipuæ sunt, quod primò se offerat rubus

beus

beus in cute color, sanguinis potius, quam bilis, indicium; hinc, quod calor non tam acer, ut in affectionibus biliosis sentiatur; tertio, quod homines temperamenti calidi & sicci, generanda flava bili accommodatissimi rarius, quam sanguinei, infestet; & tandem quod carnosiores partes crebrius, quam alias occupet, hominesque eo precipue ætatis tempore invadat, quo multum sanguinis in corporibus ipsorum esse solet.

VII.

Quæ omnia, ut alia prætermittam, cum abundè satis testentur, immediatam Erysipelatis causam flavam bilem esse non posse; rectius eorum subscribimus sententiæ, qui à sanguine tenuiore illud promanare arbitrantur, ejusque causam non in simpliciter sic dictam plethoram, sed depravatam potius & peculiarem qualitatem, à sanguinis corruptione putrefactioneque subortam, referunt.

IX.

Nec contrarium defendit *Capivaccius lib. 1. de cap. affect. cap. 8.* quo Erysipelas exquisitum ab ichore sanguinis & flava bile cum ichore sanguinis & cum serositate quadam commista ori scriptitat; nihil enim aliud hoc ipso innuit, quam sanguinem in Erysipelate contineri satis tenuem & subtilem, quæ tenuitas & subtilitas vix aliunde, quam à succo ejusmodi ichoroso & seroso deduci potest. Quod autem simul quoque statuit, Erysipelas exquisitum tantum in cute consistere, non verò etiam in partibus profundioribus, id est, de quo admodum dubitamus, cum nihil subfit, quod illius in partibus profundioribus productionem vel impedire vel diffuadere valeat.

X.

Inesse autem revera aliquid malignitatis Erysipelati, sanguinemque non ita quantitate, ut qualitate peccare, vel exinde manifestum fit primò, quod non rarò solis topicis, nullo adhibito medicamento purgante aut venæsectione, spatio unius & alterius diei profligatur; deinde, quod non aliter atque pestis, à qua solo contagio & venenositate differre videtur, e-

A 3

mun-

munctoria passim in igninibus, sub axillis & circa collum pervadat, ibidemque aliquid commoti humoris, tanquam in viâ deponat, ita, ut multi, qui ipsius paroxysmis non sunt assueti, primo ejus insultu vix persuaderi possint, quin pestilentiam præsentem credant, atque id magis, si locis & temporibus suspectis corripiantur, ut loquitur *Solonand. & VVierus* locis jam jam citatis.

## X.

Differre putatur ab Inflammatione non quidem specie, sed duntaxat secundum magis & minus; quandoquidem humor inflammationem faciens magis quantitate, quam qualitate, Erysipelas excitans, magis hæc, quam illâ peccare apprehenditur: unde & major caloris fervor, minor autem dolor in hoc, quam in inflammatione sentitur. Tumores in Erysipelate apparent ferè nulli, interdum enim adeò parum partem affectam tumefacit, ut vix attollatur; in Inflammatione verò tubercula nonnunquam conspiciuntur satis magna. Ita ex varietate etiam crassitudinis & tenuitatis evenit, ut non in iisdem partibus sive externis, sive internis, uterque horum affectuum versetur: | *Siquidem Erysipelas in partibus externis tantum à cute, in internis à membranâ admittitur; Inflammatio contra ipsam viscerum substantiam & carnem cuti subjectam penetrat. Accidit tamen etiam, ut hæc in cute hæreat, Erysipelas verò etiam ad carnem usque descendat. Vid. Vidius Tom. 4. art. med. l. 5. cap. 2.*

## XI.

*Causæ Procatarticae.*

Causæ procatarticae variae à variis assignantur, quales sunt calor externus justo diutius cutem afficiens, quemadmodum illis accidere solet, qui corpora nimis æstuantis cælo exponunt, & quibus ad fumum sedentibus seque calefacientibus crura nimium incalescunt, item qui aquâ calidâ fervidâque extimas corporis partes sæpè vel vehementer abluunt. *Potulenta non bene defecata, & esculenta summoperè calida, sicca, acris, salsa, oleosa & pinguis etiam hûc pertinent, sicuti & balnea valdè calida, medicamentaque vim calefaciendi & siccandi possidentia, vel extrinsecus vel intrinsecus adhibita.*

## XII. Mul-

XII.

Multum quoque huc faciunt *nimia vigilia, motusq; & exercitationes continue* vel cursu, vel equitationibus instituta. Ita recenset *Solenander*, se quosdam obesos novisse, quibus, quotiescunq; licet ocreati, æstate altero crure Soli obverso, equitarent, totum cruris latus in modum Erysipelatis eximio rubore perfundebatur & efflorescebat, qui quidem tumor rubicundus primâ vice Erysipelas non erat, nec ipsius calorem, sed colorem tantum referebat; isthinc tamen tandem Erysipelas originem capiens, eundem eum locum occupavit, sæpiusq; eam partem, tanquam imbecilliolem afflixit. Et *Plater. tom. 2. prax. cap. 17.* sibi juveni adhuc, magnam diei partem maximo in æstu equitanti evenisse scribit, ut Solis ardore ocreis simulq; cruribus incalescentibus, hæc postea vehementi rubore cum ardore aliquo perfusa, unum atque alterum diem permanerent.

XIII.

Nec prætereunda hoc in loco animi *παθήματα*, quæ & ipsa multum in causando Erysipelate præstare possunt. Certum etenim maximis animi perturbationibus, præsertim irâ & terrore, humores in venis supra modum non solum agitari sed & corrumpi, qui postmodum à naturâ ejecti, in superficie cutis vel aliarum partium erumpunt. Quibus membrum aliquod vulneratum, luxatum, dimotum, contusum aut ulcere correptum fuit, ij satis etiam proni redduntur ad contrahendum Erysipelas; asserente id ipsum etiam *Hippocr. in libr. de vuln. cap.* ubi capite vulneratis Erysipelas in facie suboriri scribit.

XIV.

In mulieribus vitium hoc ex causis quoque aliis contrahitur v. g. ex abortu, partu ve sinistro, aut etiam ex concubitationis metas excedente, unde uterus ardet & debilitatur; præterea ex sessione supra sella duriõri, ambulatione longâ & intensâ, vel cucurbitularum supra uterum applicatione. Ab his enim omnibus uteri calor intenditur, & ad Erysipelas excitandum idoneus efficitur.

XV. Cau-

## XV.

Causæ ante-  
cedentes.

Causæ *αἰτιολογικαὶ* internæ vel antecedentes sunt *intemperies* corporis nimis calida & sicca seu naturalis, seu aliunde acquisita, *partium exulceratio*, *prohibita transpiratio*, *ingens flatuum copia*, *sanguis in venis abundantior paulò*, quàm aut viribus, aut vasis convenit, isque fevidus, biliosus & oleosus ex alimento, partu vel purgatione menstruâ relictus, *viscerum imbecillitas*, quæ facit, ut ad quamvis humorum motionem natura ineptum sanguinem deturbet, & in partes imbecilliores deponat. Nec prætereunda magna *pulmonum exsiccatio*, quæ ab ardore, nimio labore, febribus vel intemperie excitata, pulmonum Erysipelas ex sententiâ Hippocratis l. 1. de morbis producit.

## XVI.

Ante omnia verò, ut causarum antecedentium potissima contemplanda venit *intemperies hepatis calida & aliquomodo humida*, siccitate tamen non nihil temperata castigatave. Simpliciter enim siccum & calidum Epar in hoc affectu locum habere nequit, quippe quod sanguinem crassio-remque, quàm fluxio ista prærequirit, & plurimam bilem rufam progignit. Nec simpliciter calidum & humidum, nam & illud non tam mobilem, qualis hic exigitur, sed torpidum & ad motum tardum ineptumque sanguinem elaborat.

## XVII.

Relinquitur ergò, ut caliditatem hepatis cum humiditate quâdam certâ conjunctam, quæ sanguinem calidiorem, pinguiorem & mobiliorem, nec se facile in venas aut certum locum insinuantem efficit, causam statuamus unicam, quæ huic morbo aptam materiam suppeditat. Id quod medicamenta etiam in curatione ipsius præscripta dilucidissimè monstrant, quæ omnia refrigerant & suo certo modo exsiccant.

## XVIII.

differentia.

Sequuntur differentiæ, quas vel à forma, vel à subjecto, vel à causis efficientibus desumere possumus. Quoad formam Erysipelas dispescitur in *exquisitum & non exquisitum seu spurium*.

Exqui-



Exquisitum est, quod fit à puro sanguine, tenui ac fervido, solo rubore & ardore lædens actiones corporis. Non exquisitum in alias duas species subdividitur, scilicet in phlegmonodes, quod à flavâ bile cum sanguine mixta producitur, & cum exrumescentiâ quâdam, sed dispersâ, nec dum in tumorem verum collectâ copulatur. Et Oedematodes, quod minore ardore & calore, extuberantiâ tamen majore magisque expansâ homines invadit, in quo vesicæ quoque interdum prodeunt subalbida, è quibus apertis serosus vel saniosus humor, tandemque pus ipsum effluere consuevit, sicuti testatur Plat. tom. 2. prax. cap. 17. & Fernel. l. 7. pathol. cap. 4. Obruuntur autem secundum Wierum hac ultimâ Erysipelatos specie præcipuè homines frigida & phlegmaticæ complexionis.

## XIX.

Differunt etiam, quod aliud fiat sine ulcere, quod à sanguine nimirum tenuiore provenit; aliud cum ulcere, quod ab acriore crassioreque originem trahit; ut &, quod aliud prævum sit, aliud misius; aliud parvum, aliud magnum. Quorsum etiam spectat Erysipelas scirrhoïdes seu cum scirrho conjunctum, quod à flavâ bile cum humore melancholico unitâ promanare censet Vid. Vidius l. 5. art. med. tom. 4. cap. 2. Nec non alius quidam affectus Erysipelati non planè dissimilis, cujus VVierus, Cl. Dn. Præses & Plinius, qui eum Zonam appellat, mentionem faciunt. Is à cruribus ad lumbos usque seu locum cineturæ serpere, rubedine velut fasciâ injectâ partes eas cingere, demumque ubi medium hominem ambiit, eundem enecare fertur.

## XX.

Quoad subjectum, Erysipelas aliud in partes nobiles, aliud in ignobiles, quoddam in solam tantum cutem colli, faciei, femorum, brachiorum &c. sese insinuat, quoddam verò in substantiâ etiam carnosâ uteri, pulmonum, stomachi & aliarum partium radices agit, ut patescit ex th. 5. & 10. Quoad causas efficientes aliud à sanguine solo, aliud cum flavâ bile copulato; aliud à vulnere, aliud à contusione, aliud ab aliis causis internis pariter & externis repullulascere & ratione illarum

B

disting.

distingui potest. Quibusdam jam genitis Erysipelas advenit, aliis à primo ortu contrahitur, & à parentibus nonnunquam in liberos derivatur, uti plerumque isto morbo corripit *Solenander* pronunciat illos, qui alterutrum Parentum, quem maxime referunt, Erysipelate habuerunt obnoxium.

## XXI.

Signa dia-  
gnostica.

Signa diagnostica partim imminens, partim jam præsens Erysipelas patefaciunt. Et imminens quidem notificare possunt omnia illa, quæ supra in enumeratione causarum adducta fuere, *temperies* puta, *etas* & *tempus anni* affectui huic *conveniens*, *horror* & *calor febrilis*, *nimia esculentorum calidorum*, *acrium & oleosorum ingurgitatio*, *immoderatæ cursiones & equitationes parentesque malo hoc tentati*. Certum etiam Erysipelatos imminens indicium esse censetur materia peccans glandulas & emunctoria sub axillis & inguinibus permeans, ibidemque aliquid agitati humoris relinquens, unde vel in inguinibus, si materia tendat ad crura, vel sub axillis, si ad superiora, dolorem & tumorem percipi scribit *Cl. Dn. Praeses loco sup. cit.*

## XXII.

*Præsentis indicantia signa* quod spectat, depromuntur illa vel ab ipsâ morbi essentiâ cum genericâ, tum specificâ, vel à parte affectâ. Essentiam morbi genericam determinantia sunt *dolor magis pungens*, quam distendens, *tumoris parvitas*, *pulsus parùm molestus*, *febris continua*, *fervor* & *color ex flavo ruber*, qui cum locus digitis premitur, recedit, illisque sublatis, rursus revertitur: quæ effecta vel sola Erysipelas demonstrare possunt, sunt enim ex his, quæ nunquam separantur ab affectu, & à Græcis *πυρομανονικὰ* nominantur, ut inquit *Vidus Vidius*. In specie Erysipelas phlegmonodes cutis sine altitudine exulcerata, & crustulæ furfuris instar in eadem excitatæ: Oedematodes autem exulceratio altiùs in cutem penetrans, & purulenta sanies ex pustularum rupturâ prorumpens significant, astipulante *Fernel. l. 7. pathol. cap. 4.*

## XXIII.

De febre, num semper Erysipelati conjungatur, autores

con:

255

controvertunt. *Vidus Vidius* loco ante hanc commemorato fe-  
brem non continuo cum ipso conjungi, sed tantum, cum pu-  
tredo vel ob magnitudinem, vel ob viciniam cordi impertitur,  
febrem ardentem cum circuitibus tertianis accendi existimat,  
quod si verò bilis, quæ in Erysipelate putrescit, cor non affi-  
ciat, nec febrem supervenire arbitratur. In quâ sententiâ et-  
iam est *Platorius*, qui febrem quidem incipientem cum horrore, &  
mox in calorem desinentem ut plurimum Erysipelas præcedere,  
dieque uno vel pluribus comitari concedit: attamen & sine  
febri, vel cum levi saltem aliquando idem fieri pronunciat.  
Verum enim verò quia certum est Erysipelas nihil aliud esse,  
quàm criticam humorum expulsionem evacuationemque, &  
verò crisis nulla, nisi in febribus contingat, febris utique sem-  
per in Erysipelate statuenda erit, tametsi quandoque non adeo  
sit vehemens, nec admodum diu ægrotum afficiat.

#### XXIV.

Succedunt hisce *partem affectam* denotantia. Idcirco si u-  
terus Erysipelate affligetur, tumor à pedibus exorsus, ad crura  
& lumbos defertur, quoque longius tempus processerit, ven-  
ter etiam & mammæ ob cognationem uteri intumescunt, ri-  
gor, febris & imbecillitasprehendit, dolor verò ab imo ven-  
tre ad lumbos procedit, deinde sursum progreditur ad præ-  
cordia, pectus & caput, seque mori putat scemina; cumque  
remiserit, manus, interdum inguina, crura & poplites invadit,  
& exiguo quandoque tempore meliusculè habere videtur, de-  
inde rursus iisdem afficitur, corpus pustulis refertum est, in fa-  
cie rubores excitantur, vehemens sitis detinet, fauces areseunt,  
& rectâ cervice spiratio fit, ut habet *Hippocr. lib. de nat. mul. & ex*  
*eo Roder. à Castro part. 2. de morb. mul. lib. 2. cap. 22.*

#### XXV.

Si *Pulmones* eo tententur, magna spiritus difficultas urget,  
malæ præter modum quasi inflammatae rubent, oculi intume-  
scunt, tussi sputum flavum non multo cruore permixtum ejici-  
tur, corpus hinc inde jactatur, dolor ad scapulas, jugulum &  
mammæ percipitur, pectoris gravitas & angustia ad sunt, fe-  
bris-

ang 56  
brisque flagranti incendio partes extorret, veluti id comprobant Fernel. l. 5. de part. morb. & symp. cap. 10. Forest. l. 7. observ. 30. in Schol. Si Stomachum corripit, itidem vehemens ardor dolorque, sitis immoderatio, febris ardentissima cum nausea & fervore circa orificia & tunicas ejus deprehenditur. Quod si verò in partibus exterioribus hæreat, facile id ipsum tum sensu, tum iis, quæ thesi 22. dicta fuere, dijudicabitur. Et tantum etiam de signis diagnosticis; quorum pleraque licet & Inflammationi convenient, à signis tamen Erysipelatos in eo satis discrepant, quod multò mitiora in hoc, quàm in illa reperiantur, quodque Erysipelas semper serpendo ad vicina progrediatur crescatque, Inflammatio verò in uno loco fixa maneat, nec ab eo dimoveatur.

### XXVI.

Prognostica.

Nunc ad prognostica progredimur, quæ de eventum ex Erysipelate pronuntiando nos commonefaciunt, & quæ vel ab Erysipelate in genere; vel ab eodem in certis speciebus spectato, à causis cum præsentibus, tum antecedentibus & symptomatibus intervenientibus deduci queunt.

### XXVII.

In genere, bonum est, si Erysipelas in partibus externis & ignobilioribus; malum si in internis & nobilioribus hæreat. Bonum est, si ab interioribus ad exteriora depellatur; Malum si contra ab exterioribus ad interiora retrocedat; cujus quidem indicium est, quando rubore evanescente pectus gravatur, & ægrè spiritum trahit ægrotus, ut monet Hipp. in prænot. coac. Sanius via est humorem digerere, rarò suppurari, nec si versetur in partibus externis, ad alias amplius transmitti. Interitus, Erysipelas subito evanescere, ad viscera ac partes præstantiores ferri, putrescere, & in gangrænam vel scirrhum converti. Vidus Vidius l. 5. c. 2. tom. 4. art. med. Hipp. 6. aph. 25. & 7. aph. 20.

### XXIX

In specie exquisitum facilius curatur, quam non exquisitum, mite, quàm pravum. Melius est œdematodes, quàm phlegmonodes, major enim in hoc dolor fervorque. Præterea le-

vius

2257  
vius est, quod sine ulcere; gravius, cui ulcus accessit; longè et-  
jam periculosius est, quod supervenit ulceri ossè nudato, quàm  
cui ulcus: Illud enim inter ea numeratur, quæ periculosè su-  
perveniunt, magnamque putredinem sequuntur; hoc verò et-  
jam sine magnâ putredine fieri solet, nec ita periculosum est.  
Uteri Erysipelas si non prægnanti contingat, sanabile est, si præ-  
gnanti lethale; læditur enim pars satis nervosa, quæ varium  
habet consensum cum cerebro, corde & hepate. Hippocr. de nat.  
mul. & 5. aph. 43. Nec periculo vacat, ob symptomata, quæ ipsum  
comitantur, gravissima, pulmonum Erysipelas.

### XXIX.

Quod si in facie conspiciatur, tutius est, si sursum per-  
tet, quàm si deorsum allabatur; ita enim anginam & peripneu-  
moniam concitat, quod multoties se expertum fuisse scribit  
Epiphani. Ferdinand. cons. 87. Parvum Erysipelas minus, magnum  
magis periculosum est, præsertim in capite & cervice, ubi cir-  
cumspectè procedendum, ne vel homo stranguletur, vel cere-  
brum afficiatur. Vid. Vid. loc. sup. alleg. Stomachi Erysipelas li-  
cet æquè aut magis periculosum sit, quàm scirrhusus Ventri-  
culi tumor, præcepta tamen curativa habet simplicissima,  
quemadmodum illud probat Forest. l. 16. observ. Med. 30. in Sobol.

### XXX.

Ex causis tum antegressis tum præsentibus, itemque sym-  
ptomatibus Erysipelâs sequentibus quid prognosticandum sit,  
Medico facili negotio innotescet. Si enim malum ex simplicis  
humoris affluxu vel aliis causis levioribus originem traxisse au-  
diat cognoscatque, de salute ægroti multò certè meliùs pro-  
nunciabit, quàm si ex contrariis obortum recognoscat. Item  
si magnam symptomatum copiam Erysipelati supervenire de-  
prehendat, acutam nimirum febrem, intolerabilem æstum &  
fervorem, vomitum, nauseam, capitis vel aliarum partium in-  
gentes dolores, vigilias, lypothomias, spirandi difficultatem,  
& quæ his vel sunt similia, vel graviora; quanquam spes tunc  
adhuc sit in ancipiti, potiùs tamen malum, quàm bonum e-  
ventum expectandum esse ut statuat, necesse est.

## XXXI.

*Indicationes.*

Consideratis hæcenus essentiã, causis, differentiis & signis Erysipelatis, rectã nunc tendimus ad Indicationes & hæc subsequentem Curationem. Itaque ut quã ratione æger sanitatem suam recuperare possit, indicemus efficiamusque, nec melius nec citius illud à nobis præstabitur, quàm si prohibeamus, ne Erysipelas in corpore contentum ulteriores radices agat, sed potius penitus dissipetur, removeaturque, & naturæ motus in expellenda materia peccante adjuvetur. Necessarium itaque erit, causas, humores illos generantes, bonã diætã corrigere, quicquid materiæ peccantis in corpore invenitur, vel venæsectione, vel purgatione, vel utroque evacuare, & partem affectam in integrum restituere.

## XXXII.

Ubi tamen observandum, pro diversitate Erysipelatis tam quoad suam naturam, quàm quoad partem affectam, diversam quoque curam esse instituendam. Itaque si simplex sit & à causã tantum levi proveniat, tunc solius etiam Erysipelatos rationem habemus; quod si verò vel phlegmoni, vel œdemati, vel aliis morbis conjungatur, tunc illa quoque ut attendamus, oportet, remediaque inflammationi, scirrho &c. inservientia adhibeamus, & quod vitium in tali conjunctione exsuperat, illud etiam præ cæteris nobis commendatum habeamus. Id quod etiam de medicamentis & partibus affectis tenendum, ne videlicet cuilibet membro quodlibet applicemus, sed eaduntaxat eligamus, quæ vel huic vel illi convenire ratio & experientia dictitant.

## XXXIII.

*Curatio.*

In principio ergò, si magna sanguinis in corpore abundantia & Erysipelas conspiciatur phlegmonodes, nihil prohibet, quo minus vel basilicæ, vel medianæ sectio institui possit. Quod si verò fuerit Oedematodes (sicuti contingit hydropticis, quorum crura œdemate afficiuntur) à phlebotomia abstinere consultius est; quoniam ea citissimè corpus ad hydropem, vel ejus confirmationem deduci, & ægrotus in extremum vitæ peri-

periculum conjici potest. *Bened. Favent. lib. 3. Med. Empir. cap. 3.*  
Cautè quoque infecandâ venâ procedendum, si Erysipelate  
corripiatur mulier gravida, jam grandiore existente fœtu, vel  
vires partium nobiliorum id non permittant, tunc enim con-  
venientiùs est bilem clysteribus quibusdam lenitivis & cathar-  
cticis levioribus expurgare, quàm copiosis evacuationibus  
corpus molestare. *Rod. à Castro. part. 2. de morb. mul. l. 2. c. 22.*

XXXIV.

Si Erysipelas fuerit exquisitum & sine tumore, purgatio-  
ne commodè materia peccans evacuetur, adhibendo talia,  
quæ humores non inflammant & membra exsiccant, sed se-  
rosos ac tenues humores educunt, refrigerationem post se re-  
linquant & tonum membrorum conservant: sunt autem talia  
*Rhabarb. syr. rosar & viol. solut. pulp. tamarind. cort. inter. rad. frang.*  
*Et succ. ros. Nicol. cass. mann. Elect. cathol. rosat. Mesues, vel loco hujus in*  
*Oedematode diacartham. &c.* Fortiora locum hîc non inveniunt,  
est enim materia peccans satis subtilis, mobilis & suâ naturâ  
quoque facilè evacuabilis, si Erysipelas spectetur exquisitum:  
quod si spurium, non nihil fortioribus illi occurrendum, &  
quod unâ nequit, pluribus vicibus evacuandum erit.

XXXV.

Premissis ita pro necessitatis exigentia vel purgatione,  
vel venæsectione, vel utroque, non inutiliter *sudoriferum* ali-  
quod ex *theriac. terr. sigill. bol. arm. corall. rub. prepar. aq. sambuc.*  
*fumar. card. bened. & aliis peste etiam correptis inservientibus,*  
ægroto exhibetur, idque hac de causa, ut quod intus de mate-  
teria turgente relictum fuit & in venis quasi turget, ab internis  
visceribus ad cutem, & hinc per poros ejus excutiat, naturæ  
motus adjuvetur, nec non malignitati, quæ semper malo huic  
admiscetur, resistatur, ita tamen, ne intemperies calida hu-  
morum negligatur, sed per convenientia medicamenta alteran-  
tia illi quoque subveniatur, ut suadet *Cl. Dn. Pras. & Solen. f. 5.*  
*cons. med. cons. 13.*

XXXVI.

Alterantur autem convenienter humores medicamentis  
para-

paratis ex viol. ros. sambuc. scabios. ribib. syr. rosar. de succ. end. de succo  
acetos. aq. plant. acetos. rosar. & similibus. Nonnulli alteratâ sopitâq;  
hoc modo humorum acuitate, ad stiptica progrediuntur, iisq;  
cursum eorundem ad patientem particulam prohibent, quæ  
recipiunt syr. myrtin. rosar. de succ. acetos. cum modò prædictis a-  
quis, quibus nonnihil jam remittente calore, Erysipelas me-  
dicari putant, ut facit præter alios Bened. Favent. l. 3. med. Emp. c. 2.  
sed de his quid sentiendum, ubi ad topica devenietur, subjun-  
gemus.

## XXXVII.

Hæc igitur quod concernit, etsi hoc in loco maximo pe-  
rè commendentur; tamen quæ & qualia usurpari debeant, a-  
pud omnes fermè autores, qui de Erysipelate scripserunt, di-  
sceptatur. Quidam ob intemperiem calidam & hinc resul-  
tantem ardorem & fervorem, summè frigidis utendum esse  
suadent, eamq; ob causam aquam etiam frigidissimam & alia  
in summo gradu frigeficientia cum adstringentibus & narco-  
ticis, qualia sunt opium, mandragora, succ. solan. sempervi. hyosciami  
&c. in subsidium arripiunt, hocq; modo morbo satisfieri  
posse arbitrantur. Verùm quàm malè sæpissimè salutægro-  
torum consulant, imò quàm incautè procedant, experientia  
satis commonstrat, quâ non rarò partium internarum suppura-  
tionem, quandoq; gangrænam & stuporem exinde provenis-  
se compertum habemus.

## XXXIIX.

Notum, quanta incommoda nimius frigidorum usus ap-  
portet illis, quorum collum vel faciem Erysipelas occupavit,  
quàm facilimè enim materia peccans ad cerebrum deferri, il-  
lud inficere, deliria, surditatem vel etiam Erysipelas, quod  
lethale, in ipso excitare potest. Notum, quid scribat Aëtius de  
Erysipelatis corporum senilium, quod nimium refrigerantibus  
curata, induratum quendam tumorem in membris relinquunt,  
qui ne medicamentis quidem discussoriis postmodum resolvi  
queat. Ita refert VVierus, se quendam novisse, qui obortâ ex  
suffimigiis ex opio paratis, suppuratione mortificationeq; cru-

cru-



arbn  
erurum, foramina multa in illis contraxerat, tandemque vitam cum morte commutaverat.

XXXIX.

Talia idcirco tantaque pericula cum ex nimium refrigerantibus proveniant, illorum sententia potius approbanda, qui tamen non plane refrigerantium usum rejiciant, circumspicere tamen ea ad movenda, nec quælibet assumenda, nisi quæ à doctioribus usu probata, imò potius moderatè calida eligenda esse commonefaciunt, utpote, quæ cutem laxare, poros referare, serosos humores, qui pustulis causam præbent, resolvere ac dissipare, & calorem in parte concitatum extrahere valeant, ut loquitur Cl. Dn. Præses in tract. de febr. Commendaturque propterea si lixivio ex cineribus fagi facto immisceantur album ovor. & parùm camphoræ, vel si sapo alb. in aq. comm. sambuc. vel. scabiosa dissolvatur, solutionibusque panni linei imbuantur, parti tepidè, sed nonnihil expressi, applicentur, & quotiescunq; fuerint exsiccari, renoveantur.

XL.

Ex simplicibus convenire putantur brassica extra illita, plantag. auricul. mur. sed. utrumque, umbilic. ♀, crassul. major, lumbrici vivi & ex aceto illiti, argill. cum succ. coriand. &c. quorum omnium qualitatem quidem esse frigidam, sed sine manifesta astringitione & acrimonia, talemque, qualis ad Erysipelata sananda conducit, pluribus in locis commemorat Aëtius. Forest. l. 5. obs. 22. folia tusilaginis seubecchis trita & cum melle imposita ignibus sacris & omnibus inflammationibus mederi tradit ex Dioscoride. Alii atramento scriptorio Erysipelas tingendum; quidam aquam è stercore bubulo vel vaccino M. Majo destillatam, applicandam; quidam etiam fel carpionis piscis tepidè membro affecto illiniendum, posteaque pannum linteum, mundum & siccum imponendum esse comprobant.

XLI.

Raimund. Minderer. glycyrrhizam recipit recentem, succi plenam, benè purgatam & minutim concisam, quam butyro recenti immixtam inque eo nonnihil tostam eximit, butyro

Q

verò

verò glyzyrrhiam aliam imponit, à quâ similiter cocta tollaq;  
ut prius, butyrum separat, eique iterum glyzyrrhiam novam  
injicit, idq; quinquies vel sexies repetendum scribit. Butyro tali  
modo præparato ceruss. album. ovor. & camphoram addit, ex  
quibus ritè inter se commixtis unguentum conficit, quo se,  
maximo cum successu in curando Erysipelate, usum fuisse te-  
statur in *Med. militar. cap. 9.*

## XLII.

*Roderic. à Castro part. 2. de morb. mul. l. 2. cap. 22.* in Erysipe-  
late uteri abdomini & lumbis applicat medicamenta frigida  
& humida, & quæ partium tenuitate corpus uteri subire pos-  
sunt, ut sunt *psyllium* conquassatum, *succ. cichor. Umbilio. & c.*  
unde tale præscribit remedium. *Rz. Succ. plantag. ℥ j. Ol. rosar.  
℥ iij. lactis mulieb. ℥ ij.* Misceantur frigideque applicentur, & su-  
perponantur folia lactuc. aut vitis, & antequam lintea exsic-  
centur, denuò madefiant. *Vierus* in Erysipelate Oedematosi  
utiliter corticem inferiorem panis in cerevisiâ & in flor. cha-  
mom. coctum imponi scribit. *Solenander* in *cons. med.* Empla-  
strum, quod pompholygos nominant, quocunque tempore  
admotum, sive simplex, sive exulceratum fuerit Erysipelas, ve-  
hementer commendat.

## XLIII.

Chymici admodum extollunt *ol. vel spir. salis*, nec non *oleum  
Croci*, aceto sambucino instillatum, & loco affecto superimpo-  
situm. Item *oleum Cere*, *ol. rosarum* vel *violarum* attemperatum  
& Erysipelati illitum, asseruntque præstantius remedium ad-  
fervorem & ardorem Erysipelatos tollendum reperiri non pos-  
se, quam si aliquot guttulæ *ol. succini* in aq. samb. instillatæ, agro-  
ro exhaustiendæ præbeantur, isque postea in lectum se confe-  
rat, & sudoris, qui ex medicamento hoc provenire consuevit,  
rectam rationem habeat. Eandem vim & *ol. camphora* cum de-  
bitis medicamentis assumpto attribuunt, ut & *Saliparietaria*,  
*Verbasci* & *Centinodii*, si illis in liquorem resolutis, vel *ol. succi-  
ni*, aceto & aq. sambuc. contemperatis, linteam aliquod intrin-  
gatur, eoque membra correpta madefiant, illinianturque U-  
sus horum & similium penes expertos.

2269

XLIV.

Sunt etiam, qui Emplastica conducere autumat, hęc tamen cum cautela, ut, quia tenaciter partibus adhærent, spongia illa detergantur, amoveaturque, si quid ex ipsis circa poros cutis relictum fuerit, quo exitus vaporibus calidis patefcere queat. Verum rejicitur illorum opinio non abs re à Medicis recentioribus ex eo, quod Emplastis, oleosis, & pinguibus, meatus cutis summoperè impediuntur vel obstipentur, & acres humores in corpore detineantur, qui ad partes principaliöres vel alias mollitie aliquã præditas evecti, summum illis detrimentum important. Sic narrat *Sanctor. Sanctor. l. 8. meth. vitand. err. cap. 15.* se semel vidisse Erysipelas genæ dextræ emplastis suppurantibus tractatam in gangrænam ob relatam causam, terminasse: iterumque, se imperitum Chirurgum novisse, qui hominem Erysipelate podicis correptum, iisdem Emplastis planè è medio sustulerat.

XLV.

Alia quod spectat medicamenta, quæ à quibusdam, præter enarrata usurpantur, sciendum, repellentia in hoc casu satis tutò nequaquam adhiberi posse, sive humores adhuc sint in fluxu, sive in partem morbificam impacti: benè enim hęc notandum, quod habet *Cl. Dn. Præses partim in tract. de feb. loc. cit. partim in Inst. l. 5. part. 2. sect. 1. cap. 19.* partibus puta ignobiliöribus, ad quas natura interdum humores protrudit, repellentia adhibenda non esse, neque, si fluxio materiæ peccantis alicui parti nobili vicina sit, ut in Erysipelate faciei & colli, neque si aliquid malignitatis, ut hęc evenire consuevit, morbus in se contineat, cavendum enim imò metuendum, ne materia intrò acta aliquam ex partibus principibus lædat, tandemque ægrum in vitæ periculum præcipitet. Derivantibus etiam non admodum opus est, nisi fortè, si admodum magnum sit Erysipelas, aut inflammationis particeps, tunc enim derivatur materia per ea, quæ in curatione inflammationis observantur.

XLVI.

Repellentia non nisi in progressu morbi præscribunt nonnulli

nulli ab initio, si non tantus calor adest, ut adeo partem refrigerare necessum sit; aliàs etiam hic, quod thesi præcedente dictum, locum habet. Videatur *Plat. tom. 2. prax. cap. 16.* Digerentibus ut & incidentibus tum demum utendum erit, si livorem partes affectæ contraxerint, vel Erysipelas satis pravum ad putredinem ulcus vel scirrhum declinans sese obtulerit, quo in casu primum moderatè digredientibus malum declinandum, qualia sunt quæ simul calefaciant aut parum etiam exsiccant, ut *alb. malv. farin. fabar. flor. chamemel. &c.* ex quibus fomenta vel cataplasmata fieri possunt. Si verò his nihil effeceris, pluribus in locis cutem incidere, deinde validius digredientia admoveere oportet, ut pluribus id ipsum demonstrat *Vid. Villius loco jam sæpius allegato.*

## XLVII.

Sruperfacientia licet ob dolores leniendos à quibusdam probentur, qui hyosciamum, tabacum, vel cruda, vel parum sub cineribus tosta, hinc capita papaveris, mandragoræ radicem contusa vel cocta, crocum, cicuta succum &c. inungere non verentur; quia tamen, ut superius dictum, eorum usu sæpè pars livefcit, calorque nativus partium exstinguitur, atque facile in gangrænam abit, nisi scarificationibus vel aliis remediis aptis curetur, meritò tutiora assumuntur, utpote quibus id ipsum, quod narcoticis, in hoc negotio expeditum dabitur.

## XLIX.

Morbo declinante & termino refrigerationis accedente, quod ex mutatione coloris ad album vel subrubrum cognosces, à refrigerantibus cessandum, partes, ne ex imbecillitate recidivam patiantur, roboranda, locusque manè & vesperi spongiâ fomentandus, madefactâ in hoc vel simili liquore. *R. flor. camom. mellilet. fenugræc. an. m. j.* bulliant in sufficienti quantitate aquæ, usque ad medietatis consumptionem, deinde colentur & colatura usque servetur. Hæc si locus quotidie fomentetur, posteaque modico vini albi odoriferi & calidi abluatur, præservabitur ille ab omni postmodum mortificatione vel spasmò, ut censet *Favent. l. cit.*

XLIX.

*Exulcerato Erysipelate vel cute vulnerata ab usu frigidorum etiam planè abstinendum, vel siccantia iis interserenda, quemadmodum monet Hipp. 5. aph. 23. Recipiantur autem tunc medicamenta non exasperantia, sed tam vehementis frigoris, quam acrimoniæ expertia, qualia præparari possunt ex spumâ argenti, succ. plantag. equiset. polygonii, cerussâ, camphor. pulv. lap. calam. ungu. diapalm. ol. oliv. myrtino & reliquis usibus hisce inservientibus, unde confici possunt unguenta, quorum applicatio usque ad consolidationem Erysipelatos continuanda.*

L.

Dieta.

Restat adhuc, ut de Diæta etiam quædam in medium proferantur, quæ non rarò plus, quam medicamentis etiam optimis, in propulsandis causis morbificis, modò secundum præscripta instituat, effectum fuisse, satis superque comprobatur Experientia. Debent autem hic præcipuè attendi humores Erysipelas constituentes, qui cum suâ naturâ sint calidi, acres, biliosi, pingues & oleosi, vitanda idcirco erunt cuncta, quæ quocumque etiam modo calorem adaugent, inflammant, intensiorem & acriorem efficiunt, calidum & oleosum alimentum corpori subministrant, & hinc vel ipsos humores pravos producant, vel productis materiam & affluxum suppeditant morbumque in suo vigore conservant.

LI.

*Aër procuretur moderatè frigidus, purus ac tenuis vel naturâ vel arte talis. Abstineatur à cibis acrioribus, salsis, oleosis & multis aromatibus conditis, ab herbis & seminibus calidis, porro, cepis, raphano, sinapi & similibus, comedantur assa potius, quam elixa, condita agrestia & aliis herbis, quæ Epar deobstruunt, mediocriter refrigerant & siccant, acrimoniam humorum contemperant, & mobilem fluxilemque sanguinem stabiliunt. Vina vetera, dulcia & generosa minimè conducunt, assumendum itaque absynthites vel dilutum aq. acetos. sumdr. endiv. fontanâ, sicut & in quâ aurum candēs aliquoties extinctū fuit. Cerevisiæ crassæ & turbidæ etiam non sunt usurpandæ, nec acetum; nisi passulatum, rosaceum vel sambucinum fuerit,*

C 3

Acia

2266  
Acidularum potus maximopere hoc malo aggravatis conve-  
nit, præcipue illarum, quarum temperatio alumine constat &  
ferro; eæ namque mirifice obstructions tollere, epar refrige-  
rare, totiusque corporis constitutionem confirmare credun-  
tur.

#### LII.

Somnus, si Erysipelas sit in cruribus, sit mediocris; si vero  
in facie, quantum fieri potest, evitetur, replet enim caput mul-  
tis vaporibus; Pro motu & exercitatione quiete gaudeat ægro-  
tus, siquidem commotiones nimix admodum sunt noxiæ. In-  
utilis quoque qualiscunque intempestiva. Equitatio omnibus  
illis, quorum crura Erysipelas occupat. Affectus animi &  
perturbationes concitiores, ut *ira, terror, tristitia*, fugiantur.  
Excrementa calida & sicca è corpore expellantur. Alvus, ut  
quotidiè sit obediens, prospiciatur, & si non respondeat, cly-  
steribus vel medicamentis idoneis v. g. *passulus, prunis*, in jusculis  
deglutitis, vel *rhabarbaro* etiam & *fol. sen.* si ista non juverint,  
citetur & aperta servetur.

#### LIII.

Et hæc de cura jam Erysipelatis dicta sufficiunt. Subjun-  
gere autem illis libet Colophonidis loco quædam usu probata  
remedia, quibus imminens præcaveri, & homines ab eodem  
præservari possunt. Quamobrem cum satis familiare hoc ma-  
lum sit nostris regionibus, admodum illis, qui Erysipelas de-  
clinare satagunt, conveniet, si deprehenso corpore humori-  
bus pleno, circa autumnum, aut, si necessitas postularit, alio  
etiam quocunque tempore, venæsectionem administrari cu-  
rent, cui, si quædam in corpore nunc frigoris, nunc caloris per-  
ceptio inæqualitasque sentiatur, & quasi halitus seu vaporo-  
sus spiritus universum corpus subitò pervadat, purgationem  
lenem subungere vel præmittere conducet: hoc saltem simul  
annotato, quod Venæsectio tempore vernali, purgatio vero  
autumnali sit commodior.

#### LIV.

Medicamenta alia, quæ passim apud autores extant, lu-  
bens

bens prætereo, modò in id incumbatur, ut hepatis, quippè fœ-  
 jus intemperie malum hoc ortum habet, rectè prospiciatur,  
 obstructiones omnes tollantur, & robur membrorum princi-  
 palium conservetur. Quod efficies, si ex *rad. cichor. lappath. ace-  
 ros. chamem. absynth. flor. sambuc. rosar. viol.* & aliis in lacte dulci co-  
 ctis præpares potiunculam, sejusque mane aliquot uncias ex-  
 haurias, sicuti id inter alia commendat *Solenander*, loco aliquo-  
 ties alleg. Interim tamen partis recipientis etiam ratio ineun-  
 da erit, quæ propterea lavetur *aq. chalybeatâ*, in quâ *plantago, ver-  
 bascum, taraxacum* cocta & parum aluminis dissolutum sit.

Vide sis pluribus & fusius de his agentem *Cl. Dn.  
 Præsidentem in tract. de feb. lib. 2. c. 16. &c.*

**FINIS.**



M. JOHANNES SCHÖNBERG



Ad

*Præstantissimum & Literatissi-  
mum*

D. N. RESPONDENTEM,  
Fautorem & Amicum suum.



*Si oculus Mundi cæcis s; conditus undis  
Non unquam diâ luce bearet humum,  
Dic quis nosset Eum? Quis dona laten-  
tia sciret?*

*Sideris, ô quanti! quantulus esset amor?  
Sic latitans genius nescit clarescere, nescit  
Patronos, sacro nescit amore premi.  
Ergò Tuum genium monstras, concessa talenta  
Monstras, noctis nil latitare volens.  
Gratulor è fibris. Phæbi sic itur ad auras:  
Cernere sic messem Doctior Ordo valet.*

M. JOHANNES Sperling